VIRO
MAGNIFICO, AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO
DN. SIMONI WEISSIO
hactenus Reg. Civit. Thorunens. Consuli & Ær. Publ. Præs. primario,

Nec non

Scholarchæ bene merito,

JAM PRÆSIDI INCLITI MAGISTRATUS ET PRÆCONSULI SOLENNITER ELECTO,

NOVAM DIGNITATEM DIE VII. APRIL A. R. S. M. DCC. XXXIV. COLLATAM,

Felicem, diuturnam, & undique salutatem

Senili Carmine

Gratulabundus apprecatur

I. ZABLERUS P. O.

THORUNII
Impressit Ioh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

FAta favent senibus: nondum est effoeta senectus:
Flore novo subito cana nitescit hiems,
Nempe aliter crescunt homines iterumq; fatiscunt,
Diversisque modis mitia poma ferunt.
Bruta quidem tellus iam veris pandit honores,
Quum leni Zephyro gleba soluta calet;
Iam culmis patulos vestit Cerealibus agros,
Horreaque agricolæ messis opima replet;
Mox pluvio autumno spumat vindemia labris
Plenior, & nudo sub pede musta fluunt.
Quamprimum at Boreas iussit torpere Soracten,
Et nivibus spissis est remoratus aquas;
Nullus honor veris superest, non campus aristis
Flavescit, sed nec Bacchica mella fluunt.
Sic etiam vita est hominum: iuvenilibus annis
Fervescit nimium, & tempora verna refert.
Tunc animi in pugnam faciles Mavortia spirant
Arma, acies densas rumpere non metuunt.
Tunc quoque furtivi venas populantur amores,
Admovit quoties Lesbia sæva faces.
Excelsos gestant animos, quibus integer ævi
Sanguis corde fluit, mobile robur adest.
Hi vel vela parant, nigrosque feruntur ad Indos,
Torporem indociles pauperiemque pati;
Vel Procerum invisunt aulas streperumque tribunal,
Et fora Marte suo litigiosa crepant.
Nempe hos ambitio perfusaque gloria fuco
Vexat, & immensum gloria calcar habet.
Non illos curæ vigiles, non ardua frangunt,
Dummodo fama & opes concomitentur eos.
Heu nimium miseros! veniet rugosa senectus,
Adveniet strepitum non faciente gradu;
Omnia turbabit dextram subeunte bacillo,
Lætaque sordebunt, quæ placuere prius.

Nostra

Nostra hæc conditio est : morimur, dum vivere posse
Credimus, ac subito nos Libitina rapit.
Tempora volvuntur, sed vix meliora redibunt,
Mutaturque poli semper ad instar homo.
Sunt exempla tamen, quorum devexior ætas
Floruit, & gemmas cana senecta tulit.
Gemmæ inquam fasces fuerant titulique superbi,
Quos pridem meritos Curia celsa dedit.
Per varios namque ire gradus solet ardua virtus,
Infima non temnit, summaque rite petit.
Vidimus e rudibus congesta palatia saxis
Surgere, & æquari nubibus atque polo.
Vidimus includi peregrina ex arbore germen:
Parvum erat, at sensim crescere cœpit idem ;
Maiorque ad cœlum ramis felicibus arbos
Exiit, evalido robore summa petens.
Sic TIBI, dulce decus nostrique insigne Lycéi
Præsidium, vita fata dedere frui.
CONSULIS implesti parteis & IUDICIS æqui,
BURGGRABIUM patria est deveneratagravem.
Quin etiam FISCI distrinxit cura capacis,
Qui neu deficeret, meta laboris erat.
Iam PATRUM voluit Venerabilis Ordo tenere
Munera PRÆSIDII, summaque iura dare.
Scilicet hæc visa est TE PRÆSIDE digna palæstra;
Amplior ad laudes area nulla fuit.
Virtutes sed nolo TUAS extollere multis:
In TE est, quod laudes vincat & ingenium:
Magnus amor patriæ libertatisque sepultæ;
Mens invicta malis justitiæque tenax ;
Gratia Magnatum factis verbisque parata,
Quos toga spectatos reddidit atque sagum.
Aures atque manus oculique ad munera clausi;
Ad dandum afflictis semper operta manus :

Hæc

Hæc movere PATRES, poſitaque coronide mentis
Iuſſere effigiem ſumma tenere TVÆ.
Heu mihi, quod Muſis ſubduxit ſparta SCHOLARCHAM
Altior, ac Pindo parcior unda fluet.
Vivitur hic parce, trahitur vix ſpiritus ære
Exiguo, pannis obſita Muſa gemit.
Sic dum fama nequit peſtem hanc depellere, vires
Quid mirum minui, deteri & ingenium?
At magis angor, ais, tantæ ſuccumbere moli,
Undique quæ terret membraque feſſa premit:
Tuſſis anhela quatit pectus capitiſque ſenilis
Compagem, noctu cura recurrit edax:
Succedat vegetus, ſuccedat iunior annis,
Molem hanc enormem qui gerat atque regat
Quid nos, quid reliqui, quænam ſolatia fundant,
Ut mente intrepida ſuſtineatur onus?
Illud mente pia perpendas, OPTIME PRÆSES,
Quod ſatis edoctum pagina ſacra docet:
Deſtinat ipſe Deus meritis tempuſque locumque,
Et vires humeris ſufficit ipſe TVIS.
Tempora ſi mala ſunt, ſi Mavors omnia turbat,
Si nuſquam illæſo fors licet ire pede;
Arbitrio committe Dei curaſque viaſque,
Arbitrio quoniam non licet eſſe TVO.
TV legum compeſce malos formidine, & umbra
Protege, quos forſan noveris eſſe pios.
Nos, quando excubias pro afflicta ſuſcipis urbe,
Pro TE iterum ſuperis fundere vota decet:
Magne Tonans faxis, virides ſint PRÆSIDIS anni;
Tu ſuppone manus, ut leve fiat onus:
Livor eat, cedant ærumnæ & iurgia linguæ:
Uſque novo decori grandius adde decus.